

„Consideremus autem, quaenam Iesus Christus attribuit Apostolo Petro et eius successoribus. Nonne in praemium triplicis declarationis amoris dedit illi munus pascendi gregem, scilicet agnos et oves? Cum hoc discrimine, quod Episcopis datum est tantum pascere, qui in eis est, gregem, scilicet determinatas partes gregis illis commissas; Petro autem et successoribus eius datum est pascere omnem gregem, agnos et oves, simplices fideles nempe et Episcopos, in suo regimine independenter ab aliis; dum contra Episcopi pascunt semper, ut diximus, dependenter a Petro et Petri successore. En igitur successor Petri potest in toto orbe christiano omnia peragere quae superius enunciamus, et proinde administrare sacramenta, leges ferre, invigilare etc., praedicare, iudicare controversias, punire fontes etc. Quaero igitur, potestne haec omnia peragere vere in toto orbe catholico? Qui contradiceret, innumeris obrueretur antiquitatis exemplis.

„Nec dicat aliquis, haec peregrisse Pontificem summum qua Patriarcham occidentalem. Nam praeter exempla innumera huius iurisdictionis exercitii in Oriente, notum est, privilegia Patriarcharum, Primatum et Metropolitanorum esse positiva, et ex concessione Pontificis Summi. Si igitur aliis Patriarchis provenit a concessione Summi Pontificis, consequitur, in ipso privilegium esse ex institutione divina. Eadem igitur quoad speciem est episcopalis potestas Episcoporum in singulis suis dioecesibus et in Pontifice Summo quoad omnes dioeceses, cum hoc discrimine, quod in Pontifice Summo est in sua plenitudine, in aliis restricta; in Summo Pontifice independens, in Episcopis dependens; in Episcopis coarctata ad suas dioeceses, in Pontifice Summo sine ulla limitatione loci, sed ad terminos terrae. Cum igitur convenire nos necesse sit, realiter potestatem Summi Pontificis esse eandem specie ac potestatem Episcoporum, quid vetat, quominus utamur eodem vocabulo ad qualitatem enuntiandam iurisdictionis, quae exercetur per Pontifices et Episcopos, et dicamus, episcopalem potestatem in Episcopis, et summam supremam potestatem episcopalem esse in Summo Pontifice? Negat relator, vocabulum novum esse. Imprimis potestatem episcopalem idem esse cum pontificali; hanc in Episcopo dici pontificalem, in Summo Pontifice summam potestatem pontificalem. Porro Summum Pontificem se dicere catholicae Ecclesiae Episcopum. Negat etiam, rationem nominis illius usurpandi deesse. „Notum est,“ inquit, „imo usitatissimum in Ecclesia, ut nova dogmatica vocabula adhibeantur novis erroribus insurgentibus. Nostris temporibus reapse valde periculosa sententia apud aliquos invaluit, quae sustinet, Summum Pontificem non posse in aliis dioecesibus a Romana diversis ea peragere, quae Episcopus quilibet in sua propria, eo praetextu, quod alias illorum iurisdictionem laederet: perniciosus error a Vaticano Concilio est configendus; et hoc optime faciet, si sanciat sua auctoritate, potestatem Summi Pontificis exercendam in qualibet dioe-

cesi esse proprie episcopalem.“ Affert relator etiam locum ex Concilio provinciali Coloniensi anni 1860 (cap. 25.): „Romano Pontifici ut Ecclesiae capiti et fundamento visibili, Episcoporum principi et pastori supremo vera iurdictio episcopalis competit in universam Ecclesiam.“¹

Sententia deputationis longe maiori parte suffragiorum Patrum approbata est². Aliqui postea, quum de tota Constitutione ferrentur suffragia, suo suffragio „Placet“ conditionem adiecerunt, ut vox „episcopalis“ deleteretur³. Sed, quod decisum erat, retentum est⁴.

COMMENTATIO VI.

De inciso canonis capitis tertii: „aut eum [Papam] habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis“.

Canon capiti tertio adiectus est hic: „Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.“

Incisum, quod literis insignioribus notavimus, non erat neque in schemate pristino de Ecclesia⁵ neque in schemate, quod a deputatione de rebus fidei reformatum Patribus traditum est⁶. Inter emendationes autem, quae in discussione speciali tertii capitis a Patribus proponebantur, erat etiam haec, ut canonis tertii capitis substitueretur haec formula: „Si quis dixerit, Romani Pontificis Primatum esse tantum officium inspectionis et directionis, et supremam ipsius potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam non esse plenam, sed tantum extraordinariam et mediatam; anathema sit.“⁷ Noluit quidem deputatio de fide hanc canonis formulam Patribus commendare, quippe quae aliqua ex canone proposito omisisset; id tamen placuit, quod in ea formula Summi Pontificis potestas non iam, ut in canone proposito, dicebatur plena et suprema, sed potestas suprema dicebatur plena, et propterea clarius exprimebatur conceptus plenitudinis, quum plenitudo Summo Pontifici attribueretur non tantum potestatis ecclesiasticae, sed supremae potestatis ecclesiasticae⁸. Quare deputatio emendationem iuxta modum admisit atque addidit illud incisum, de quo agimus, ut integer iam

¹ C. V. 353 c. ² C. V. 367 d. ³ Exceptiones etc. C. V. 438 d.

⁴ Relatio etc. C. V. 469 a. ⁵ C. V. 377 d. ⁶ C. V. 274 a.

⁷ Emendationes etc. C. V. 345 d sq. ⁸ Relatio etc. C. V. 371 b. c.

canon esset: „Si quis dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, tum in rebus, quae ad fidem et mores, tum quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; *aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis*; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.“¹ Canonem igitur hoc inciso auctum Rñus Episc. Zinelli, deputationis in Congregatione generali relator, Patribus recipiendum commendavit².

Quum autem canon, ut de eo suffragia ferrentur, iterum esset lectus, Patres de mutatione hac statim iudicium se ferre posse negarunt; canonem scriptum prius examinandum esse. Decreverunt igitur Praesides, ut suffragia ad proximam Congregationem differrentur et canon antea typis impressus inter Patres distribuatur³. Distributus est duobus diebus post, d. 7. Iulii⁴.

Deputati Patres, quum d. 8. Iulii primo de re agerent, incisum omittere statuerunt⁵. In sessione autem diei sequentis Cardinalis Bilio, deputationis praeses, iterum proposuit, ut incisum retineretur. Quod si retraheretur, futurum esse, ut magna animorum perturbatio in Congregatione generali oriretur; errorem, qui inciso explicite excluderetur, revera doceri, neque verum esse, quaestionem non iam fuisse in Congregationibus conciliariter tractatam, quum damnatio illius erroris diserte, explicite et implicite, postulata esset, ex altera parte ipse error in numeris 35. et 36. emendationum proponeretur. Omnes ei assentiebantur, et Rñus Episc. Zinelli rogabatur, ut de inciso illo recipiendo relationem haberet⁶.

Emendationes 35. et 36., de quibus Cardinalis Bilio loquitur, hae sunt: „35. Paragraphus tertia, quae, expuncta priori paragrapho secunda, immediate definitioni Concilii Florentini subnectenda esset, hoc modo redigi deberet, nempe: Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest. Haec tamen Summi Pon-

¹ Ex actis etc. C. V. 1690 d sq. ² Relatio etc. C. V. 366 a.

³ Haec est in actis rei narratio: „Cum lectus fuit huiusmodi canon, fere omnes ad invicem dicebant, necesse esse eum sub oculos habere, nec convenire suffragium ferre post simplicem lectionem. Rñus Archiep. Colocensis primum hoc adnotavit; postea vero Archiep. Parisiensis surgens dixit, novum esse, quod in canone proponebatur, et ideo nova discussione super illud opus esse. Tunc Eñi Praesides ad quamlibet aequivocationem tollendam decreverunt, differri suffragia quoad hunc canonem in proximam Congregationem, eumque typis impressum Patribus distribui.“

⁴ Acta etc. C. V. 758 b. ⁵ Ex actis etc. C. V. 1693 d.

⁶ Ibid. C. V. 1694 d sq.

tificis Romani inter Episcopos Primatus potestas non excludit aut supprimit potestatem regiminis propriam Episcoporum, qui a Spiritu Sancto iuxta Apostolum positi sunt regere Ecclesiam Dei, et ad hoc in consecratione episcopali Spiritum Sanctum obtinent; proinde Episcopi cum Romano Pontifice coniuncti et ei qua totius gregis dominici principali pastori subordinati non modo particulares suos greges potestate iuris divini regunt et gubernant, verum etiam cum Summo Pontifice sollicitudinem totius Ecclesiae sustinent, atque pro tota Ecclesia cum Summo Pontifice legislatores et iudices sunt, *ita ut tota potestas regiminis Ecclesiae in Episcopatu cum Pontifice Romano, suo Primato, consistat*, seu regimen Ecclesiae Christi sit Petro-Apostolicum. Qua ratione etiam iura et privilegia Patriarcharum orientalium, quemadmodum in definitione Concilii Florentini continentur, salva sunt.

„36. Loco tertiae paragraphi: *Haec est catholicae* p. 9. sequens proponitur: „Illa tamen divini Primatus potestas non est tota et absoluta potestas, quam Christus Ecclesiae suae tradidit. Si quidem huius totius potestatis participes sunt ipsimet Episcopi, Apostolorum successores, quos quoque Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei. Dictum est enim omnibus Apostolis et Petro coniunctim, eorumque successoribus: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes . . . ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi . . . sicut misit me Pater et ego mitto vos . . . Accipite Spiritum Sanctum. . .* Tantum igitur abest, ut Summi Pontificis potestas opponatur sive illi Episcoporum potestati, quam in universa Ecclesia omnes coniunctim cum Petri successore exercent ut legislatores et fidei iudices; sive illi ordinariae et immediatae episcopali . . . etc.“ usque ad finem paragraphi, cui addi potest: „Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest.“¹

Iam concedi debet et a Rño Episc. Zinelli, deputationis relatore, plane conceditur², cum Florentini (atque Vaticani) Concilii definitione conciliari posse sententiam multorum theologorum, Summum Pontificem cum omnibus Episcopis unum formare collegium, quod sit supremae potestatis ecclesiasticae subiectum. Is tamen, qui hoc docet, ne Concilio Florentino (et Vaticano) contradicat, etiam Summum Pontificem per se solum supremae potestatis ecclesiasticae subiectum esse fateri debet, ita ut asserat, esse subiecta duo supremae potestatis incomplete distincta. Emendationes autem illae vix ita explicari possunt. Videntur potius insinuare, esse unum tantum supremae potestatis subiectum, quod a Summo Pontifice et Episcopis simul formetur simili modo, ut in republica aliqua aristocratico-monarchica summa leges

¹ Emendationes etc. C. V. 341 c sqq. ² Relatio etc. C. V. 357 c sqq. Cf. infra cap. III. adnot. ad capituli tertii verba „simul omnes“.

ferendi potestas penes regem et senatum nobilium est, quorum neuter solus leges ferre possit. Eam autem doctrinam conciliari non posse cum Florentini definitione, Romano Pontifici „in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo *plenam* potestatem traditam esse“, evidens est. Quare recte Cardinalis Bilio, ut doctrina iam definita efficacius contra errores protegeretur, illo canonis additamento definitionem Florentini Concilii clarius etiam proponi voluit.

De *modo*, quo Patres deputati additamentum Congregationi generali proposuerunt, multi Patres conquesti sunt, unde tamen concludi non debet, tot Patres *doctrinam* de plenitudine potestatis pontificiae in dubium vocasse. Sexaginta duo Patres epistola d. 9. Iulii ad Praesides Congregationis generalis data ¹: „In nuperrima Congregatione generali,“ inquit, „cum votis subiicerentur capituli tertii de Ecclesia emendationes, super istarum num. 70., 71., 72. rñus deputationis relator ex ambone declaravit, deputationem admittere num. 72. *iuxta modum* ideoque de num. 70. et 71. suffragia non esse ferenda, sed dumtaxat de num. 72. modificato.

„Quibusdam petentibus Patribus canon, quem deputatio proposuit, typis mandatus est, et cum eum prae oculis haberemus, apparuit, ipsum haud continere tenorem emendationis, quae sub num. 72. legitur, in quibusdam mutatum, sed potius canonem, prout in schemate habetur, integrum referre, non autem solum: nam inserta est additio, quam magni esse momenti nemo non videt.

„Quapropter declarem oportet: quae rñus relator de emendatione 72. dixerit, non concordare cum iis, quae de canone tertio deputatio reapse egit.

„Praeterea decretum *Apostolicis Literis* n. XII. praescribit, ut suffragia Congregationis generalis exquirantur super propositis in ipsa discussione emendationibus: itaque stabilito res pertractandi ordini adversatur, ut suffragia exquirantur super additamento satis gravi schemati post discussionem et proin absque discussione facto. Postulamus ergo, ut in suffragiis proxime ferendis Patrum vota petantur de emendatione 72., quam si reiici contigerit, canon tertius, prout in schemate habetur, proponatur.“

Audiamus igitur, quomodo ipse deputationis relator, Rñus Episc. Zinelli, relatione in sequenti Congregatione generali habita, rem exponat:

„In postrema Congregatione generali“, inquit, „ego nomine deputationis vestrae de fide emendationem sub numero 72. super capite tertio partis primae Constitutionis de Ecclesia admittendam proposui iuxta modum. Modus autem erat sequens, quod nempe in canone

¹ C. V. 991 a. b.

tertio insererentur haec verba: *aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis*. Antequam rationes enuntiem, quae obstaculo fuerunt, ne rogarentur suffragia, breviter et stricte dicam, quid significant illa verba, quae addi nomine deputationis proponebam; deinde num conceptum verum non solum, sed et plane de fide catholica tenendum contineant; an conceptus ipse plene in Congregationibus generalibus fuerit discussus; demum num iuxta praxim huius Concilii Vaticani deputatio, occasione arrepta ab emendationibus, iure suo usa fuerit proponendo Patrum suffragiis illam insertionem.

„Et primo quidem evidens est, per supradicta verba errorem illorum damnari, qui supremam potestatem Summi Pontificis non esse plenam in sensu proprio asserunt, ac proinde involventes falsam sententiam verbis ambiguis eludunt satis perspicuam definitionem Concilii Florentini, aientes, esse quidem in Pontifice Summo plenitudinem iurisdictionis, sed non totam, quia Pontifex habet quidem potiores partes iurisdictionis, at non omnes. Quid, quaero, hoc est, quam reapse negare plenitudinem iurisdictionis Summi Pontificis definitam a Concilio Florentino? Quid enim sibi vult haec distinctio, quasi esse posset plenitudo, quae non sit tota, quod directe opponitur conceptui plenitudinis? Plenitudo enim essentialiter significat, qualitatem inesse subiecto in toto suo ambitu; quod negatur, quando dicitur, plenitudinem non esse totam, aut potiores tantum eius partes esse in subiecto. Proposita igitur additio in id unum intendebat, ut assereretur, plenitudinem iurisdictionis inesse Summo Pontifici in suo vero sensu, cum exclusionem sensus non solum falsi, sed in se ipso involventis conceptus, qui se mutuo destruunt.

„Si igitur hoc Concilium iam definierat in capite tertio, praeeunte Concilio Florentino, iurisdictionem Summi Pontificis esse plenam, ac proinde nullam concipi posse partem ecclesiasticae iurisdictionis, quae non comprehenderetur in eius suprema potestate; si hoc ipsum in prima parte canonis tertii declarabatur, consequens erat, posse aequali prorsus modo admitti incisum, quod substantialiter nihil amplius dicit et tantum modo evidentiori et maiori vi excludit falsas interpretationes textus tum Concilii Florentini tum ipsius Vaticani.

„Parcite, Eñi ac Rñi Patres, si cum de plenitudine potestatis Summi Pontificis loquimur, me cohibere non possum, quin recitem verba e celebri *de unitate Ecclesiae* sermone Bossuetii decerpta, habito in conventu Gallicano anni 1682. En verba: ‚In potestate, quae in plures dividitur, partitio suam secum ipsa restrictionem affert. Contra vero potestas, quae uni datur et super omnes et sine ulla exceptione datur, infert plenitudinem; et sicut omnis (notate verba) est expers partitionis, non alios habet limites, quam quos regula praescribit.‘

„De plenitudine potestatis iurisdictionis in Pontifice in toto suo ambitu acceptanda, nulli ambigendi igitur locus; nec ulli scrupulum

moveat, quasi totam plenitudinem potestatis iurisdictionis tribuentes Summo Pontifici, ullo modo laedamus dignitatem Concilii oecumenici; nam firma manent ea, quae in postrema Congregatione in relatione enucleavi de potestate plena et suprema Concilii oecumenici, quae recte intellecta et firmis illis conditionibus et declarationibus, de quibus satis dixi, unice consistere potest cum doctrina fidei, quae totam plenitudinem supremae potestatis in Summo Pontifice recognoscit.

„At fuitne sufficienter discussus in Congregationibus generalibus conceptus plenitudinis potestatis in suo sensu proprio? In prima paragrapho capitis tertii a Concilio Vaticano apertissimis verbis fuit renovatum decretum dogmaticum Concilii Florentini oecumenici, quod definit, plenam potestatem traditam esse in Petro Romano Pontifici pascendi, regendi, gubernandi universalem Ecclesiam. Quis credat, E^mi et R^mi Patres, Concilium Vaticanum tanta solemnitate verborum renovasse definitionem Concilii Florentini, attamen sensum tribuisse plenae potestatis ab ipso definitae restrictivum, sensum, qui aperte repugnat ideae plenitudinis, ac proinde absurdum? Hoc autem argumentum fuit in Congregationibus generalibus praecipue discussum, nempe utrum definitio Concilii Florentini, quam renovat Concilium Vaticanum, posset ullo modo restringi. Et quum in generalibus Congregationibus nonnulli id assererent, invicti defensores iurium sanctae Sedis Apostolicae fortiter propugnarunt universali fere plausu huius venerandi consensus, plenitudinem iurisdictionis Summi Pontificis esse in suo proprio sensu intelligendam; nihil iurisdictionis ecclesiasticae posse illi subtrahi, nullis limitibus ab humana posse eius iurisdictionem auctoritate coarctari. Id clare patet etiam ex emendationibus et e relatione de illis vobis a me facta¹.

„Vos scitis, E^mi et R^mi Patres, nomine deputationis me sine ulla verborum ambiguitate declarasse, verba *plenam potestatem* intelligenda esse in tota eorum amplitudine, perperam restricto sensu interpretari nonnullos clausulam *quemadmodum etc.*, quae est in fine textus adducti Concilii Florentini, et hoc patere evidenter ex contextu, ex vi phrasim, ex argumentis historicis aliisque bene multis. Et vos, E^mi et R^mi Patres, quoties propositae fuerunt emendationes illae, quae restrictivum sensum insinuare volebant, vestro sapientissimo iudicio acceptantes votum deputationis vestrae, sine ulla cunctatione reiecistis.

„Mirari igitur non desino, E^mi et R^mi Patres, qua ratione in postrema Congregatione generali dubium suboriri potuerit, num de hoc argumento hinc inde in Congregationibus disputatum non sit, dum adhuc in hac aula resonabant verba, quibus ego occasione emendationum sub numeris 35. et 36. de illo disserere, exponens ea quae in disceptatione a Patribus dicta fuere, stricto quidem at non brevi

¹ C. V. 348 e. d. 356 d sqq. Cf. supra p. 153 sq.

discursu coactus fui. Quis igitur sustinere poterit, coram vobis conceptum hunc plenitudinis potestatis Romani Pontificis non fuisse hic discussum?

„At iurene poterat illa phrasim proponi inserenda in tertio canone? Sciatis, E^mi ac R^mi Patres, illam fuisse intensionem deputationis iuxta mentem plurium, quae evidenter apparebat a multis emendationibus, a 26^a aliisque¹, proponendi insertionem illius incisi, aut in capite aut in canonibus; quia quamvis non necessaria absolute, attamen opportunissima videbatur ad cavillationes eliminandas: et eo magis quod ex discussione ipsa in Congregationibus habita id aliquo modo relative necessarium poterat existimari.

„At in formulis, quae exhibentur sub emendationibus 26. et aliis supra enunciatis non erant verba, quae satis clarum reapse conceptum redderent, verba, quae acceptari possent iuxta modum a deputatione, et ianuam aperirent ad inserendum incisum. Cum vero ventum esset ad emendationem 72., in qua certe deputatio approbare non poterat expunctionem multarum phrasim, quae optime in canone remanere debebant, consideravit tamen deputatio, in novo proposito ab emendatore schemate canonis tertii, verba adhibita ab emendatore clarius exprimere conceptum deputationis quoad plenitudinem potestatis pontificiae quam in prima parte canonis nostri. Nam in prima parte canonis nostri dicitur, potestatem Pontificis esse plenam et supremam, ac proinde adiectiva duo *plena* et *suprema* enunciantur de subiecto, quod est potestas. At in emendatione 72. dicitur multo melius: Potestas suprema est plena, scilicet plenitudo asseritur de subiecto complexo, *potestas suprema*, sc. de potestate, quae est suprema; ac proinde clarius asseritur, in Pontifice esse plenitudinem non tantum potestatis ecclesiasticae, sed supremae potestatis ecclesiasticae.

„Deputatio igitur memor: Omnia probate, quod bonum est tenete, acceptavit emendationem sub numero 72., quae alioquin reiicienda fuisset, iuxta modum; et modus fuit, ut admissa meliori formula, in qua plenitudo tribuitur potestati supremae qua supremae, adderetur etiam adiectivum *tota plenitudo*, et sic locus tolleretur omni cavillationi; et hoc factum est per insertionem incisi: *aut eum habere partes potiores, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis*. Iure igitur egit deputatio; iure poterant Patres dare suffragium. Cur igitur non sunt rogati? Unus ex R^mis Patribus opposuit, novam, quae proponebatur in canone, insertionem non fuisse nec oculis subiectam fidelibus nec discussam. De secunda obiectione satis iam dictum est; quoad primam, cum ageretur de paucis verbis, quae facile memoria poterant retineri, et cum remedium facile in promptu esset, si ab ambone verba addita repetita fuissent, nulla ratio haberi iure poterat non rogandi suffragia.

¹ Emendationes etc. C. V. 340 a sqq.

„Attamen Eñi Praesides pro moderatione, in qua excedunt, satis faciendum Reverendissimo existimarunt. Iam nudius tertius folium separatum, in quo modus apparet, iuxta quem emendatio 72. a deputatione acceptata fuerit, vobis fuit distributum. Dignemini emendationem iuxta mentem deputationis admittere, ac proinde insertionem incisi approbare.“¹

Emendatione perlecta, suffragia exquisita sunt, et duplici experimento more solito facto, ipsam emendationem longe maior Patrum pars admisit; eamque acceptatam fuisse a Congregatione generali primus Praeses declaravit².

Etiam postea in Congregatione generali octogesima quinta (d. 13. Iulii), cum de more suffragia de toto capite tertio et canone peterentur, canon inciso illo auctus a longe maiore parte Patrum receptus est³. Quum autem in eadem Congregatione suffragia de tota Constitutione ferrentur, complures ex iis, qui suo suffragio „Placet“ conditionem addiderunt, postularunt iterum, ut incisum removeretur⁴. Tanti autem momenti aliqui id esse censebant, ut deputatio eorum Patrum, qui infallibilitatem pontificiam definiri volebant, Summum Pontificem d. 15. Iulii adiret atque praeter aliud quoddam etiam illud ab eo peteret, ut incisum illud tolli iuberet⁵. Id ipsum unus ex deputatis, Archiep. Parisiensis, sequenti die etiam epistola ad Summum Pontificem data petiit⁶. Hic tamen eodem die per Subsecretarium Concilii eos certiores fecit, se totum negotium Congregationi generali relinquere, sententia definitiva sibi reservata. In Congregatione generali octogesima octava (d. 16. Iulii) Rñus Zinelli, cum de conditionibus, quae suffragiis adiectae erant, ageret: „Animadvertimus, inquit⁷, canonem tertium „non ab uno tantum, sed a pluribus, qui dixerunt *Placet iuxta modum*, sic impugnari, ut manifestum sit, aliquibus praeiudiciis ab eius acceptatione aliquos praepediri, ac proinde necessarium duco paucissima verba addere, quibus praeiudicia tollantur. Nullo modo per definitionem, qua asseritur, totam plenitudinem potestatis supremae esse in Summo Pontifice, laeduntur sententiae, quae libere in scholis disputantur de derivatione iurisdictionis episcopalis.

„Disputant theologi, num potestas iurisdictionis, quae est in Episcopis, derivetur immediate a Deo an immediate a Summo Pontifice. Illi inter catholicos theologos, qui potestatem iurisdictionis immediate a Deo derivari asserunt, eam tamen dicunt, uti par est, a Deo conferri cum vera et plena dependentia a Summo Pontifice. Hanc quae-

¹ Relatio etc. C. V. 368 d sqq. ² Ibid. C. V. 372 b.

³ Acta etc. C. V. 759 c. ⁴ Exceptiones etc. C. V. 440 b sqq.

⁵ Ex diurnis etc. C. V. 1702 d. Cf. epistolam comitis Arnim C. V. 1609 d. Cf. supra cap. I. *Historia originis* etc. p. 123.

⁶ C. V. 992 b. c. ⁷ Relatio etc. C. V. 472 b sqq.

stionem, quam scimus tam agitatam in Concilio Tridentino, ipse Summus Pontifex tunc noluit definire; nec nos certe volumus definire per nostrum canonem nec per incisum insertum. Si asserimus, totam plenitudinem potestatis supremae esse in Summo Pontifice, nec asserimus nec negamus, potestatem, quae est in Episcopis, derivari a Deo immediate aut a Summo Pontifice.

„Eodem modo nulli dubium, quin Concilium oecumenicum sit infallibile in rebus fidei et morum definiendis; nulli dubium, quod unio Episcoporum cum Summo Pontifice sit conditio sine qua non infallibilitatis corporis episcopalis. At si quaeratur, num unio cum Summo Pontifice non solum sit conditio sine qua non, uti dicunt scholae, infallibilitatis Concilii, sed num reapse infallibilitas descendat a capite in corpus, vel contra Deum, qui immediate dat infallibilitatem capiti independentem a concursu Concilii, det etiam immediate hanc infallibilitatem corpori cum suo capite coniuncto per modum totius; non est hic locus de hac re aliquid omnino statuendum proferre, sed tantum aperte est declarandum, in canone capitis tertii nullo modo agi de hac quaestione, nec anathema dici illis, qui alterutram sententiam sustinerent. Post hanc tam apertam declarationem, quae inhaeret sensui ex verbis et ex contextu derivanti, non video, quomodo scrupulus suboriri possit, qui rationabiliter retrahat a canonis acceptatione.“

COMMENTATIO VII.

De tribus oecumenicorum Conciliorum testimoniis, quae definitioni infallibilitatis Summi Pontificis praemittuntur.

In capite quarto Constitutionis primae de Ecclesia, quo infallibilitas Summi Pontificis definitur, tria ad eam doctrinam confirmandam afferuntur oecumenicorum Conciliorum testimonia, eorum, „in quibus Oriens cum Occidente in fidei caritatisque unionem conveniebat“: Constantinopolitani IV., Lugdunensis II., Florentini. In capite addendo¹, quod solum Patribus primum traditum erat, duorum priorum tantum testimonia continebantur. In observationibus Patrum de eo capite laudatur, ut est in relatione deputationis², „quod rei definiendae fundamenta in schemate allata

„a) ex formulis fidei, iisque receptis in oecumenicis Conciliis, deprompta fuerunt; quod ea petita fuerunt

„b) ex eiusmodi oecumenicis Conciliis, in quibus Oriens et Occidens in eiusdem fidei et caritatis unitatem conveniebant; quodque eadem,

„c) quemadmodum quoad auctoritatem omni exceptione sunt maiora, ita Scripturarum testimonia ad rem potissima complectuntur, et quoad

¹ C. V. 642 a. b. Cf. supra cap. I. *Historia originis* etc. p. 107.

² C. V. 278 a sqq. Cf. de relatione supra cap. I. *Historia* etc. p. 112.